

# **Landesbibliothek Oldenburg**

## **Digitalisierung von Drucken**

**Friderici Iacobi Beyschlagii, Gymnasii, quod Halæ  
Suevorum est, Adiuncti, & ad ædem S. Mich. Archangeli  
Catechetæ extraordinarii, Sylloge Variorvm Opuscuvlorvm**

(Programmatvm, Orationvm, Epistolarvm, Poematvm, Dissertationvm,  
Aliarvmqve Observationvm ... )

Fascicvlos I.II.III.IV.V. Ab Annis MDCC.XXVII.M.DCC.XXVIII.M.DCC.XXIX.  
Editos, Complexvs. Cvm Indice Triplici.

**Beyschlag, Friedrich Jakob**

**Halae Suevorum, M.DCC.XXIX**

I. Lectorem Benevolum ad Orationem Divis Manibus Sacram Illustris &  
Magnigici Domini, Johan. Lavrentii Drechsleri, [...]

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16134**

I.

LECTOREM BENEVOLUM

ad

ORATIONEM

Divis Manibus Sacram

ILLVSTRIS &amp; MAGNIFICI

DOMINI,

JOHAN. LAURENTII  
DRECHSLERI,Consulis Senioris, ærarii Quæstoris, & Ec-  
clesiarum Scholarumq; Directoris longe  
Gravissimi,

Vto Id. Jul. An. 1725.

audiendam

officiose &amp; humaniter

invitat

JOHANNES GEORGIUS MEJER,  
Gymnasii Hallensis Rector.

**E**Volavit ex vinculo corporis, tanquam  
ex carcere, tribus abhinc mensibus,  
Illustris ac vere *Magnificus* Dn. JOHANNES  
LAURENTIUS DRECHSLER, Patriæ  
Consul Senior, ærarii Quæstor, & Ecclesiarum  
Tom. I. Fasc. II. P. Scho-

Scholarumque Director *Gravissimus*, Vir tum nobilitate ac virtute, tum meritis ac gloria maximus, nec unquam, nisi summa laudis prædicatione memoria nostra repetendus. Exequias ivit, ac in squalore & sordibus iacuit civium universitas, nec nisi invita lugensque ad ultimum humanitatis obser-vantiæque officium evocata est, quod, tur-bare mortalitatis ordinem, existimavit, qui, cum naturæ ac gloriæ satis diu vixisse, sibi videretur, patriæ, in cuius tuenda au-gendaque salute rerum præclare gerenda-rum recubuit scopus, non diutissime vive-ret. Neque id mirum, ex quo ei neque vel occasio plurimis iisque maximis beneficiis complectendæ patriæ, vel animus studium-que defuit, qui domestico incitatus exem-plo, ad illustria quæque contendit, & pri-ma, quæ nobiscum nascuntur, honestatis gloriæque semina, artibus & usu sic corro-boravit, ut eo pergeret acriter, unde & vera reipublicæ esset felicitas, & nomen su-um sedem stabilem & domicilium certum haberet. Singularem illam animi vim ex sternmate habuit Vir præstantissimus, post-quam non inauspicato eos nactus est pa-tentes, qui, ut filii bene recteque educandi inirens

initent rationem, tum multa præceptorum suavitate, tum vera veræ virtutis imagine viam muniverunt optimam. Lucem hanc primum in hac urbe vidit XLV. Calendas Maias, anno supra millesimum & sexcentesimum sexagesimo quarto, quem Pater Vir Nobilissimus, Amplissimus & Prudentissimus, Dn. LAURENTIUS DRECHSLER, Primarius Senatorii Ordinis & Quinque Viratus Assessor, tractusque Kocharici Praefectus, longe meritissimus, summæ sibi curæ habuit; Mater vero KUNIGUNDA SIBYLLA, ortu SCHUSTERIA, femina dignis suo sexu virtutibus ornatisima, charissimum hoc coniugii pignus insinu ac oculis tulit. Uterque autem nequaquam partes boni parentis explere prius, credidit, quam recens à Deo datus in civitatem Christianam adscriptus, & fonte sacro à Forditie repurgatus, certissima bene beateque vivendi præsidia sibi comparasset. Illo veræ felicitatis fundamento rite iacto, cum eluceret à teneris indeoles generosa, puer pietate, moribus & doctrinis imbuedus datus est fidelissimis Gymnasii nostri Moderatoribus, ex quorum ore, quæ tradebantur, ita celeriter arripuit, ut nobilioꝝ æqualibus ferretur suis, clariusque exsplend

P 2 desceſ



desceret, quam generosi condiscipuli ferre possent; spemque omnibus fecit certissimam, fore, ut, quos in pugna umbratili strenue vicisset, eosdem in luce publica, dignitate, gloria ac meritis aliquando antecelleret. Aliquot itaque diligentiae præmiis ornatus, ac, edito quodam de *Clementia Victoriae* specimine oratorio, Scholæ Ephoris probatus, ut tam laudabiles conatus prosequeretur, Anno 1684. ad altiora Academiarum subsellia contendit, & salutata *Tubinga*, in Scholis *Harprechtianis*, *Masierianis* ac *Suedrianis* disciplinas hausit non pœnitendas, nec minus ad percipienda sobriae philosophiae principia, quam ad rationes legum naturalium pervestigandas instructus est dexterime. Exacto inter alias *Tubingensium Musas* biennio, florentissimam ad Salam *Academiam* concessit, & *Struvio*, *Müllerio*, *Schlevogtio*, *Lynckero* & *Weigelio*, magnis in orbe literato nominibus, solerteriam & ardorem ita ex voto approbavit, ut in totius sapientiae scientiæque humanæ curriculum descenderet, & tum iurisprudentiæ civilis, tum iuris naturalis, tum absconditarum rerum naturalium, tum ceterarum disciplinarum cognitionem hauriret

mini-



minime vulgarem. Facta deinceps à Dn.  
Parente potestate, Lipsiam, Halam, Wite-  
bergam, Dresdam, Berolinum, Spandavi-  
am, Brandenburgum, Brunsvigam, Helm-  
stadium, Lüneburgum & omni inferiori  
Saxonia peragrata, Hamburgum abiit, mul-  
tum interesse existimans, si non modo il-  
lorum locorum magnificentiam, ac magna  
illustrium virorum lumina, sed, quod ca-  
put rei est, rectam quoque capessendæ re-  
gendæque reipublicæ rationem suspexisset.  
Dehinc velis latius expansis, Harleum,  
Lugdunum, Roterodamum, Ultraiectum,  
& magnum illud Europæ emporium libe-  
raliumque artium sedem, Amstelodamum  
&, quas Rhenus aspicit urbes, Coloniam,  
Bonnam, Moguntiam, atque Spiram ex-  
currit, tum Senatu imperiali florentissi-  
mam. Quid vero non ab eo exspectare li-  
cuit, qui tam egregio studio ad omne lau-  
dis ac gloriæ decus nitebatur? Exulto  
namque summis artibus animo, cum in  
patriam fieret redux, ita adventus eius ex-  
cipiebatur, ut doctrinæ experientiæque lau-  
dem exspectatio hominis, exspectationem  
ipsius adventus admiratioque superaret.  
Vix ergo laribus patriis redditus, An. 1688.

P 5

exar-



ex ardescente Germaniam inter & Galliam  
belli flamma, agri Hallensis ad negotia mili-  
taria Legatus, (Land-Commissarios appella-  
mus,) Anno 1695. Prætor renunciatus est.  
Verum enim vero tantum abest, ut is intra  
modicos dignitatis consisteret cancellos,  
qui ad sublimiora aspiraverat iuvenis, ut  
potius maxima summorum honorum fieret  
accessio. Anno namque 1699. in *Incytum*  
senatoriæ dignitatis Ordinem adscriptus est,  
cui dignitati An. 1701. bonorum sub hasta  
vendendorum administratio, Anno 1702.  
*Kocharici tractus præfectura*, aliique honores,  
Anno vero 1712. potestas *Consularis* acce-  
sit, communibus Patrum suffragiis civium-  
que votis placidissime conspirantibus.

Ad lenienda vero vitæ tædia iniit con-  
silium, & de idonea thori socia cum pro-  
spexisset, An. 1695. legit ANNAM MÄ-  
RIAM, formæ ac frugalitatis laude præstan-  
tem, genere BEYSCHLAGIAM; quod connu-  
bium ei lætum ac prosperum accidisset, nisi  
suavissima coniux cum trina sobole, quam  
decus ac florem familij allaturam, puta-  
verat pater, duo post lustra, ex mortalita-  
te fuisset eræpta. Orbatus alteris votis sibi  
iunxit An. 1708. *Virginem & formæ & mode-*  
*sticæ*

stia florentissimam, MARIAM ROSINAM, nobilissima stirpe natam, Patre scilicet Excel-lentissimo ac Prudentissimo Dn. JOHANNE WIL-HELMO ENGELHARDTO, ordinis Senat. Viro primario, Rosetique Praefecto, longe meritissi-mo, cuius ita probata virtus erat marito, ut dulcissimos inter amores sex utriusque sexus gratissima susciperet pignora, quibus sola superstes est SOPHIA CATHARINA, in spem succrescens optimam, nunc vero or-bitatis dolorem acerbissimis lachrymis ex-primens, ceteris præcipitatum Anno 1716. piissimæ matris fatum morte partim occu-pantibus, partim consequentibus. Tertium in coniugii fœdus An. 1721. ascivit Virgi-nem Illustrem ac omni virtutis decore excul-tam, SUSANNAM ELISABETHAM, Il-lustris ac Magnifici Dn. WOLFGANGI GABRIE-LIS PACHELBELII de Gehag, Serenissimis Mar-chionibus Brandenburgicis utriusque Lineæ in Franconia à Consiliis intimis, Viri & digni-tate & fama meritisque longe gravissimi, filiam, quæ, postquam filia ac filio, quo-rum ætas tenella nondum percipit dome-sticæ cladi magnitudinem, domum Drechs-lerianam amplificavit, orba nunc est, & in-tristissimos gemitus & lachrymas profusa.

Ceterum quanta auctoritate non minus, quam prudentia & dexteritate Optimi Consulis expleverit partes, famamque illustraverit suam, si recensendum mihi sigillatim videatur, longior extendenda utique foret, quam pro ratione instituti, historia. In splendidissimis namque Consulatus honoribus immortali cum laude versatus est, sive Senatui amplissimo consilii copiam agendique solertiam, sive reipublicæ curam ac fidem, sive aliis quibuscunque, quorum res litibus agebantur, iustitiae & æquitatis studium testaretur, pulcherrimum existimans, si civitati fructum, aliis officia, sibi laborem recteque factorum oblectationem ac famam illustrem destinasset. Mirum ergo videri non debet, tantum Virum, qui, utrum rempublicam magis exornaverit, an ab illa sit exornatus, dubium reliquit, cum, supremo vale terrestribus dicto, cœlo redderetur, totam civitatem in luctum ac lachrymas conieccisse, acerbumque sui desiderium excitasse. Veruntamen, quia teste Herodoto, rerum humanarum circus est, qui rotatus semper eosdem fortunatos non præstat, cedendum fatis est, quæ volentes ducunt, trahuntque nolentes; atque repu-

can-



tandum, cumulatim repensam esse ablati  
decoris iacturam, ex quo dignissimus Magni  
DRECHSLERI Successor, Illustris Dn. JULI-  
US FRANCISCUS OTTO, Consul nunc  
Senior, ararii Questor, Ecclesiarum & Scho-  
larum Director gravissimus, recta mente con-  
silia provideret, quæ offeruntur negotia, in  
publicam utilitatem convertit, & neque  
labori cedit, neque ulla curarum vi frangi-  
cur. Cui communi Incliti Senatus suffra-  
gio, communibusque omnium bonorum  
votis ac precibus, in suavissimum Consula-  
tus consortium datus est Illustris Dn. WOLF-  
GANGIS CASPAR SANWALD, Consul  
h. t. Regens, ararii Questor, & Collegii Scho-  
larum Assessor dignissimus, generosa eaque  
longa imaginum paternarum serie clarissi-  
mus, deque communi civium salute longe  
meritissimus. Quam consularem Illustrum  
Virorum bigam (\*) ut procurandæ publicæ  
Saluti commodare velit cœli favor, quoad  
non tam sibi, quam reipublicæ, vivendo  
satisfacent, in omnium ore est ac precibus.

P 5

Cæte-

(\*) Consularem hanc Illustrum Virorum bigam  
Patria nostra, (quæ Illustre illud & supra lau-  
dibus suis condecoratum, Par optimorum  
Consulum prima & ultima Anni 1725.

parte



Ceterum summa cum patriæ ornamenta suo se splendore à temporum iniuria, hominumque oblivione tueantur, & gratæ posteritatis mereantur laudem ; suarum tamen partium esse, existimavit Dn. Joh. LUDOVICUS de la MAGDELEINE, Gallicæ & Italicæ apud nos Scholæ Moderator dexterinus, non modo laudes ac merita in beatas sedes recepti, interque cœlites triumphantis enumerare, verum etiam recens collatos summos honores brevi ac gallice scripta oratione gratulari. Cui dicendi periculo cum datus sit 11. Julii dies, ea, qua decet, observantia ac humanitate Patres Patriæ, Gymnasi Ephoros, literarum gallicarum fautores rogamus & obtestamur, ut hora 2da pomeridiana, loco consueto frequentes adesse, animumq; commodare benevolum ne dedignentur. Istuc officiorum genere & piis Manibus supremum honorem, & summis nostræ Curiæ Viris observantiam testabuntur.  
P. P. Hallæ Suev. d. 8. Jul. A. O. R. M. DCC. XXV.

parte fato sibi ereptum, merito acerbe luxit) hodie veneratur in eodem DN. WOLFG. CASP. SANWALDIO & DN. HENR. PETRO BONHOEFERO, Viris de Republica, Ecclesia & Schola benemerentissimis, pro quorum incolumentate vota ista optimus quisque nuncupat.

II.  
EXPOSITIO  
*fidelis de morte*  
D. THOMAE MORI  
et quorundam aliorum insignium  
virorum in Anglia.  
Anno M. D. xxxv. 4t. plag. 3.

PRAEFATIO EDITORIS.

**L**ucem vidit Londini An. 1726. vita Thomæ Mori, Equitis, & supremi Angliae Cancellarii sub Henrico VIII. Anglicano sermone dudum scripta, à Thoma Moro, Thomæ illius abnepote, & ante hos ipsos centum annos, An. 1627. dicta in urbe edita, nuper vero ob raritatem suam & præstantiam, recusa. Describunt hanc editionem Viri doctissimi, qui Acta Eruditorum Lipsiæ Latino sermone colligunt, Mense Jan. An. 1727. p. 31. seqq. qui ipsi iam An. 1718. p. 475. seqq. eiusdem Thomæ Mori vitam, à Guil. Ropero, illius genero, qui filiam Mori, Margaretham, incomparabilem feminam, in matrimonio habuit, exaratam, & à Thoma Hearnio, A. 1716. Oxonii foras datum,

